



O. i. 810. (1-39).



AD  
ORATIONEM PVBLICAM

IN  
ACROATERIO CLASSIS SELECTAE


D. V. AVG. MDCCXLIII.

AVDIENDAM  
MAECENATES, FAVTORES

OMNESQVE OPTIMARVM ARTIVM  
PATRONOS, AMICOS ET CIVES

OMNI  
QVA PAR EST OBSERVANTIA ET HVMANITATE  
INVITANT

DIRECTOR ET PROFESSORES  
REGII GYMNASII ALTONANI.



ALTONAE,  
EX OFFICINA GYMNASII REGII ACADEMICI OPERIS EYRMESTERIANIS.

XXIII

23

V/4



AD  
ORATIONEM PUBLICAM  
IN  
ACROBATICO CLASSIS SPECTACULO  
D. N. AVG. MDCCCLIII.  
AURELIAM  
MARCENATEM FAVTORES  
OMNISQUE OPTIMARVM ARTIVM  
PATRONOS, AMICOS ET CIVES  
CIVIS  
QVA PAR EST OEBERVA ET HUMANITATE  
INVITANT  
DIRECTOR ET PROFESSORES  
REGII GYMNASII ALTONANI  
ALTONAE  
EX OFFICINA GYMNASII REGII ALTONANI

XVII








### Q. D. B. V.



olent etiam iuvenes, quibus ingenium  
felix, scribere de argumento, quod alias  
senes atque exercitatissimos quoque ex-  
ercere possit. Si id agant in prima aeta-  
te, ut tempus bene collocent, ut veteres recentioresque  
auctores versarint, sane de illorum sollertia & assidua  
exercitatione, quin & futura eorum virtute & dignitate  
vere divinare possumus, tales aliquando futuros, quales  
spes ac angurium, quod certe exitus comprobabit, iam  
fingit.

Exemplo non vno vidimus bene cessisse his co-  
natus, atque maximam iniisse gratiam etiam a viris do-  
ctissimis rei que intelligentibus. Gellius in Noctibus  
):( 2 At-





Attic. \*) ex eoque Macrobius \*\*) in Saturnalibus nar-  
rat lepidam, lectu tamen dignissimam historiam de Pa-  
pirio, quem, cum adhuc puer esset, propter insignem  
prudentiam solum ex prae-textatis pueris ius sortitum es-  
se, introeundi in curiam. Quum ergo saepius accidere  
soleat, ut in adolescentibus, non illis quidem, de qui-  
bus canit Horatius \*\*\*)

*Imberbis iuuenis tandem custode remoto,*

*Gaudet equis, canibusque & aprico gramine campi.*

Sed quibus coctum est generoso pectus honesto, eadem  
cum senibus doctrina plus etiam vigoris sit, non mi-  
rum est Quintilianum in Institutionibus oratoriis mone-  
re iuuenes, vt cito incipiant animum in chartas fundere,  
maxime quum ita se praepararent ad maiora conanda;  
quasi sicut Flaccus \*\*\*\*) Venerem, sic etiam Musas ad  
iuuenes ablegaturus

*abi*

*Quo blande iuuenem te reuocant preces.*

Quis ergo, ut de nostrorum saeculorum felicitate sub-  
iungamus exempla, quis non miratur & magni facit Hu-  
gonis Grotii labores in Sacrum Codicem, quos felici au-  
fu perfecit ad modum iuuenis \*\*\*\*) Quis sine incredi-  
bili et voluptate et fructu legerit iuuenilia exercitamenta

Leib-

\*) l. 23.

\*\*) Qui et huius et aliorum serinia ex pilasse atque ideo Lauernae  
nomen tulisse dicitur Thomaf, diff. de plagio p. 224.

\*\*) de arte poet. v. 161.

\*\*\*\*) Carm. IV. 1, 7.

\*\*\*\*\*) Perill. a Ludwig in diurn. Hallenf. vbi de ingenio doctissimi Ba-  
ratcuii περιπριζου.



Leibnitii, plena profecto bonae frugis. \*) Sed iuvat et tertium e sexcentis addere exemplum, cui nescio, auumquam simile exstiterit; elegantem putamus pariter atque doctissimum Fridericum Brummerum, qui, ut laudum suarum summam faciamus, inter ceteros caput ex tollit,

*Quantum lenta solent inter viburna cupressi.*  
Aetatem sane feret, ut reliqua eius scripta, ita limitatissimus eius commentarius ad L. Cinciam, quem exteris terras cum fructu visens Parisiis publici iuris fecit. \*\*) Genus scribendi illud adolescentibus et si non praecipue commendandum, tamen nec plane dissuadendum putamus, ubi variae res in chartam coniciuntur, ingenioque maior libertas prout aliae ex aliis incidunt meditationes, permittitur. Relinquendum hoc est aetati magis proeuctae, ut se suasque de argumento aliquo sententias methodo tamquam glebae addicant. Iis enim facilius est, ut ordinem et certam *σύνταξιν* sibi ob oculos ponant, atque eum tamquam regulam dicendorum statuunt. Ratio, si libet aliquam audire, haec est: quo quis enim magis annos numerat doctos, tanto etiam magis libros ordinis aptissimi vidit et optimos quosuis sibi ad imitationem proponere potuit. Quum vero usu quis iudicium suum acuat, fieri non potest, ut, qui sunt usu exercitiores magis ad regulam exigant meditationes vel saltem exigere possint, ac ii, quorum facultas bene ac iuste iudicandi adhuc immatura est. Immatura plerumque esse solet iuuenum et ephedorum scientia, quoad ingenium vero atque memoriam non dubitamus, quin si non maior utriusque vigor, saltem pari gradu exaequare videatur. Unde est, quod sicuti vinum Opimianum C. annorum \*\*\*) in doliis cuppisque recentioribus,

)( 3

ribus,

\*) v. Vitam Leibnitii a. V. C. de la Motte gallice concinnatam et Theodiceae subiunctam.

\*\*) Struuius in Bibliotheca Saxonica.

\*\*\*) de quo Petron. in satyra.



ribus, nouiterque factis felicius seruator, quam in culeis an-  
 norum depravatis; ita etiam scientia in viridi aeta-  
 te et maius pretium habeat, ac in senio confectis. Soliditas  
 ergo quaerenda in viris, elegantia rerumque varietas in iu-  
 uenibus. Vnde nemo vitio vertet iis, qui vbi primae at-  
 que alterius aetatis annos bene transegerunt, quem fructum  
 inde perceperint, eum publico ingenue communicent.

Obiicis quidem, at prima solent leuia esse et arida mo-  
 do pumice expolita, ingrata, quia aetatem redolent. Sed  
 praeterquam quod Gratiae et lepores non immerito vultu  
 inuenili fingantur, ita responsum, quod Accius dedit Pacu-  
 vio docta crisi tragoedias ipsius examinanti, facillime hanc  
 obiectionem refellet: *me id, inquit Accius non poenitet; me-  
 liora enim fore spero quae deinceps scribam; nam quod inposui est,  
 itidem esse aiunt in ingeniis: quae dura et acerba nascuntur, post  
 fiunt miria et iucunda, sed quae gignuntur statim vieta et mollia,  
 atque in principio sunt vuida: non matura mox fiunt, sed putria.  
 Relinquendum igitur visum est ingenio, quod dies atque aetas mi-  
 tificet.* Gellius in Noct. Attic. \*) Nemo ergo dicat, ca-  
 lamum ad senes, litteras ad iuuenes pertinere, atque a scri-  
 bendo quam longissime abigendos esse dictatoria hac voce.

*Procul O procul este profani.*

Quasi vero hoc sit senii peculium a natura datum, vt que-  
 madmodum Pythagoras *αγεωμετρίας* schola sua abesse iusse-  
 rat, ita iuuenibus litterarum occludant secreta.

Quam saepe iuuenes non litteris bonisque artibus  
 solum, sed etiam arte militari, vel etiam in aliis scientiis  
 aetatis magis prouectae viros longe superarunt. Subiun-  
 gere nobis liceat exempla quaedam. Narrant Hebraeo-  
 rum Doctores, Abrahamum XIII annos natum Tharae  
 patris blande reprehendisse abominandam idololatriam \*\*)  
 eoque

\*) Lib. XIII. Cap. 2.

\*\*) Bayle diction, Histor. écrit. art. Abraham in notis.



eoque eum adegisse, ut quid responderet, non habuerit. Quis nescit, Augustum Caesarem XII. natum annos aulam Iuliam defunctam pro rostris laudasse \*). Et quem fugit praeclarum Scipionis exemplum, qui in praelio quod in bello secundo Punico editum est, vix posita praetexta, anno aetatis XV. egregium virtutis et pietatis edidit specimen, dum non pro patria solum, sed et pro patre acriter pugnauit et ipsi vitam seruauit. Vti vero virtus bellica animas aetate adhuc florentes vel maxime inhabitat, ita quoque ingenium et bona mens saepe domicilium atque sedem constituit in iuuenibus, qui nondum canam illam atque catam aetatem, ut Plautus loquitur, attingerunt. In numeram adhuc exempla ex elegantissimo tractatu gallice conscripto \*\*) proferre possemus, sed cui bono ea demonstrare, quae demonstratione vix indigent. Vfus ergo et experientia testis est quosdam iuuenes quorum

*De meliore luto finxit praecordia Titan*

et prudentia et litteris bonisque artibus senes longo post se intervallo relinquere; quod quanto rarius in rebus humanis est, tanto est admirabilius. Sed quo delabimur, ad propositum revertendum est. Dimittendi nobis iam sunt et quidem ex more nostro sollempniter quidam iuuenes ac ciues pereximii, ex eorum numero primus est.

**IO. VALENT. CHVDEN.**


SOLTQVELLENSIS PALAEO MARCHICVS.

qui d. IX. Octobr. MDCCXLI. in ciuitatem nostram litterariam receptus est. Ex quo autem Musarum nostrarum sacris initiatus erat, linguae non modo latinae sed et in primis graecae cognitionem sibi commendatam habebat, sine cuius facultate in studio, quod elegit, Medico absque

\*) Sueton. in Aug. cap. 8.

\*\*) Traité historique des enfans devenus celebres par leurs études ou par leurs Ecrits.






que offensione progredi neque ad optatam metam peruenire posse, prudentissime existimauit. Litteris ergo his elegantioribus imbutus, progressus haud contemnendos in studio Medico et Philosophico fecit. Euocatus iussu patris aestumatissimi inter uasa, quae ipsi ob legitimas quasdam causas citius, ac antea putabat, conclamanda erant, breui gratiarum actione d. XIX. Iul. iam ultimum Muls nostris dixit vale. Alter est

ANDREAS VOLQVARD  
HOLSATO TONDERENSIS.

iuuenis qui ingenium. quod nactus est rectum excoluit et eo in linguarum orientalium et Theologiae penetralia intropexit, ut multos aetate pares aequet, multos etiam multis parasangis post se relinquat. Ceterum insignimorum suauitate et modestia se omnibus commendauit, atque ex doctorum suorum praeceptis et consiliis fructum adeo capere studuit, ut nullae uoluptatis illecebrae eum unquam a recto tramite in transuersum egerint. Nunc uero officio, quod leges et statuta Gymnasii ab omnibus ciuibus exigunt, satisfactorius, postremam orationem DE ELOQVENTIA DIVINI VATIS IESAIAE recitabit. Ut itaque res suas bene et praecclare apud extereos, uti apud nos, gerat; iure meritoque ipsi ex uetere ac sollempni formula acclamamus MACTE VIRTUTE.

Omnes ergo Maecenates, Patronos ac litterarum cultores, ut praesentiam suam splendissimam nobis impertire ac adolefcenti optimo d. V. Aug. publice declamatorio beneuolas commodare aures haud dedignentur, omni obseruantia et humanitate rogamus. Quo fauore ac beneuolentia non solum hic, sed et reliqui nostri Gymnasii ciues ad res porro alacriter et feliciter gerendas uehementer excitabuntur. P. P. Gymnasio Regio d. XII. Kalendar. Aug. MDCCXLIII.





01 A 6519

ULB Halle 3  
002 928 736  


Slk. 7 = Zschr.

5b.

Reh. v

K












AD  
ORATIONEM PVBLICAM  
IN  
ACROATERIO CLASSIS SELECTAE  
D. V. AVG. MDCCXLIII.  
AVDIENDAM  
MAECENATES, FAVTORES  
OMNESQVE OPTIMARVM ARTIVM  
PATRONOS, AMICOS ET CIVES  
OMNI  
QVA PAR EST OBSERVANTIA ET HVMANITATE  
INVITANT  
DIRECTOR ET PROFESSORES  
REGII GYMNASII ALTONANI.



ALTONAE,  
EX OFFICINA GYMNASII REGII ACADEMICI OPERIS BVRMESTERIANIS.

XXIII  
23  
V1

